



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] hoc liceat priuatæ personæ, vel solum publicæ? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

Ad secundum dicendum, quod Deus secundum ordinem suæ sapientiæ quandoque statim peccatores occidit ad liberationem bonorum, quandoque autem eis penitendi tempus concedit, secundum quod ipse nouit suis electis expedire. Et hoc etiam humana iustitia imitatur pro posse. Illos enim qui sunt perniciosi in alios, occidit: eos verò, qui peccat, alijs grauius non nocentes, ad penitentiam reseruat.

Ad tertium dicendum, quod homo peccando, ab ordine rationis recedit: & ideo decedit à dignitate humana, prout scilicet homo est naturaliter liber & propter seipsum existens: & incidit quodammodo in seruitutem bestiarum, vt scilicet de ipso ordinetur secundum quod est vile alijs, secundum illud Psal. 48. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Et Prouerb. 11. dicitur, Qui stultus est, seruiet sapienti. Et ideo quamuis hominem in sua dignitate manentem occidere, sit secundum se malum: tamen hominem peccatorem occidere, potest esse bonum, sicut occidere bestiam. Peior enim est malus homo quam bestia, & plus nocet, vt Philosophus dicit in primo * Politicorum, & in 7. Ethicorum.

ARTIC. III.

Utrum occidere hominem peccatorem liceat priuata persona?

17. Ethic.
36. in fi.
20. 9.
358.
inf. q. 65.
a. 1. co. et
ad 2. Et
q. d. 37. q.
2. m. 1.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod occidere hominem peccatorem liceat priuata personæ. In lege enim diuina nihil illicitum mandatur. Sed Exodi 32. præcepit Moyses, Occidat vnusquisque fratrem suum & amicum, & proximum suum, pro peccato vituli conflatilis. Ergo etiam priuatis personis licet peccatorem occidere.

¶ 2 Præterea, Homo propter peccatum comparatur bestijs, vt dictum * est. Sed occidere bestiam syluestrem maximè nocentem, cui libet priuata personæ licet. Ergo & pari ratione occidere hominem peccatorem.

¶ 3 Præ-

¶ 3 Præterea, Laudabile est, quod homo etiam si sit privata persona, operetur quod est utile bono communi. Sed occisio malefactorum est utilis bono communi, ut dictum * est. Ergo laudabile est, si etiam privata personæ malefactores occidant. *art. prac.*

SED contra est, quod August. dicit in primo * de civit. Dei, Qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida iudicabitur: & tanto amplius, quanto sibi potestatem à Deo non concessam usurpare non timuit. *l. 1. c. 26. in me. c. c. 21. in fi. 10. 5.*

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum * est, occidere malefactorem licitum est, in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis. Et ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conservandæ. Sicut ad Medicum pertinet præcidere membrum putridum, quando ei commissæ fuerit cura salutis totius corporis. Cura autem communis boni commissæ est principibus habentibus publicam auctoritatem. Et ideo eis solum licet malefactores occidere, non autem privatis personis. *art. prac.*

Ad primum ergo dicendum, quod ille aliquid facit, cuius auctoritate sit, ut patet per Dionys. * 12. cap. cælestis hierar. Et ideo ut August. † dicit in 1. de civit. Dei, non ipse occidit qui ministerium debet iubenti, sed sicut adminiculum gladius est vrenti. Unde illi qui occiderunt proximos & amicos ex mandato Domini, non hoc fecisse ipsi videntur: sed potius ille, cuius auctoritate fecerunt. Sicut & miles interficit hostem auctoritate principis, & minister læconem auctoritate iudicis. *ex cap. 7. l. 5. c. 20. cir. p. 10. 5.*

Ad secundum dicendum, quod bestia naturaliter est distincta ab homine. Unde super hoc non requiritur aliquod iudicium, an sit occidenda, si sit sylvestris: si verò sit domestica, requireretur iudicium, non propter ipsam, sed propter damnum domini. Sed homo peccator non est naturaliter distinctus ab hominibus iustis. Et ideo indiget iudicio publico, ut discernatur an sit occidendus propter salutem cõmuni.

Ad

Ad tertium dicendum, quod facere aliquid ad utilitatem communem quod nulli nocet, hoc est licitum cuilibet privatae personae: sed si sit cum nocimento alterius, hoc non debet fieri nisi secundum iudicium eius ad quem pertinet aestimare quid sit subtrahendum partibus pro salute totius.

ARTIC. IV.

Utrum occidere malefactores liceat clericis?

359
inf. q. 70.
a. 1. ad 1
Et 4. d. 25
q. 1. ar. 2.
q. 1.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod occidere malefactores, liceat clericis. Clerici enim praecipue debent implere quod Apostolus dicit 1. ad Corint. 4. Imitatores mei estote. sicut & ego Christi. Per quod nobis indicitur, ut Deum & sanctos eius imitemur. Sed ipse Deus quem colimus, occidit malefactores, secundum illud Psalm. 135. Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum. Moyses etiam a Leuitis fecit interfici viginti tria millia hominum, propter adorationem vituli: ut habetur Exod. 32. Et Phinees sacerdos interfecit Israelitem cum Madianitide coeuntem, ut habetur Num. 25. Samuel etiam interfecit Agag regem Amalec, & Elias sacerdotes Baal, & Marathias cum qui ad sacrificandum accesserat: & in nouo Testamento, Petrus Ananiam, & Sapphiram. Ergo videtur, quod etiam clericis liceat occidere malefactores.

¶ 2. Præterea, Potestas spiritualis est maior, quam temporalis, & Deo coniunctior. Sed potestas temporalis licite malefactores occidit tanquam Dei minister, ut dicitur Rom. 13. Ergo multo magis clerici, qui sunt Dei ministri spiritualem potestatem habentes, licite possunt malefactores occidere.

¶ 3. Præterea, Quicumque licite suscipit aliquod officium, licite potest ea quæ ad officium illud pertinent, exercere. Sed officium principis terræ est malefactores occidere, ut dictum * est. Ergo clerici qui sunt terrarum principes, licite possunt occidere malefactores.

¶ **S**ED contra est, quod dicitur primæ ad Timor. 3. Opor-